Ryan.

Dissertatio Medico-Chirurgica Inauguralis, de Ischuria Vesicali

1814

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

INAUGURALIS,

DE

ISCHURIA VESICALI.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA
INAUGURALIS,
DE
ISCHURIA VESICALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS RYAN,

Hibernus,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM IN HIBERNIA PERMISSUS.

Die VIII. ante Kal. Julias, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXIV.

RICARDO DEASE, M.D.

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ

IN COLL. REG. CHIRURG. IN HIB.

PROFESSORI,

CUI MULTA

QUÆ IN PAGINIS HISCE

PROFERUNTUR

ACCEPTA REFERT,

OPUSCULUM HOCCE

GRATO ANIMO

DAT, DICAT, DEDICATQUE

AUCTOR.

NECNON

REVERENDO

ALEXANDRO HAYES RYAN, A.B.

HASCE STUDIORUM SUORUM

PRIMITIAS

AMORIS PIGNUS

DICATAS VOLUIT

FRATER.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

INAUGURALIS,

DE

ISCHURIA VESICALI.

GULIELMO RYAN AUCTORE.

Morbus, quem mihi hic tractandum proposui, attentionem medici jure optimo sibi vindicat. Sæpissime quidem occurrit; nec in tanta morborum varietate, vix ullus existit, qui plus doloris ægro excitet, vel per medentis incuriam aut inscitiam, magis calamitosus evadat. Naturam ejus investigare, et causas et modum curationis optimum proponere, institutis academiæ hujusce obsecutus, aggrediar.

Ischuriæ species quatuor ab auctoribus enumerantur, *renalis*, scilicet, *ureterica*, *vesicalis* et *urethralis*. In duabus prioribus, urina vel non secernitur, vel secreta in vesicam non descendit: in alteris, renibus et *ureteribus* sanis, urina vesicam intrat, sed egressu carens, accumulatur. Huic formæ morbi, urinæ retentio nomen nuper apte datum: illi, ubi nimirum muneribus propriis fungi nequeunt renes, suppressio urinæ. Ea quæ hic proferre libet ad *ischuriam vesicalem* præcipue spectant, quæ hisce verbis a Culleno definitur.

"Urinæ suppressio absoluta, cum tumore
"hypogastrii, dolore ad cervicem vesicæ, et
"frequenti ad mingendum stimulo."

HISTORIA.

Ischuria Vesicalis, ætate provectiores, quam impuberes, aut mediam agentes aetatem, frequentius adoritur. Symptomata plurima sunt, et pro causarum diversitate variuntur. Morbum depingere conabor ea recensendo quæ ex vesicæ inflammatione exoriri solent, et simul de causis ipsis tractatum, de signis, quæ singulis sunt propria, mentionem faciam.

Morbum ingruentum notat stimulus ad mingendum solito frequentior. Redditur urina non sine dolore aliquo et difficultate. Hæc sensim molestiora fiunt. Augetur dolor præcipue inter mingendum, nec ullam fere requiem ægro concedit, tanta est mingendi cupido. Hoc morbi stadium dysuriæ nomen adeptum, quam aliqui auctores distinctam quandam et peculiarem affectionem

ducunt; sed male ut opinor, quoniam gradus solum ejusdem morbi plane esse videtur.—Interea, symptomata ingravescunt. Et nunc inflammatione aucta, si æger dolore confectus stimulo instanti non statim obsequatur, vesica, minimæ distentionis impatiens, in *atoniam* recidit et ad contractionem excitari nequit. Nunc ægro supervenit absoluta retentio, et tumor, vesicæ formam referens tactuque dolens, supra pubes cito apparet. Jam oriuntur nisus ad urinam expellendam vani et inutiles, qui ex paroxysmis iterantur; et ægrotans gravi vexatur tenesmo.

Dum perstat paroxysmus, miserum torquet excrucians dolor. Musculi abdominis communi quodam consensu ad contractiones cientur validissimas; ægrique corpus ob vim doloris incurvatur. Incitantur pulsus; facies rubet; fronte prorumpit sudor. Post paululum hæc symptomata mitescunt, sed tantum ut vi redeant majore. Morbo progrediente,

toti corpori supervenit irritatio: *pyrexia*, anxietas, nausea, vomitus, ægrum invadunt. Halitus et exhalatio per cutem, aliæque excretiones urinam multum redolent. Tumor *hypogastrii*, gradatim mole crescens, umbilicum versus ascendit—tactu est dolentissimus. Vesica ad summum jam distenditur, quod die fere tertio accidit; et urina ex ea stillare incipit, non raro tanta quantitate ut falsa spe fallat amicos. Interea, respiratio fit difficilis; pulsus fiunt debiles, creberrimi, vel abnormes; oritur delirium; æger tremoribus agitatur; et supervenientibus *comate* et convulsionibus, fato miserando succumbit.

CAUSÆ REMOTÆ.

In causis hujus morbi tractandis, ad duo capita sequentia eas referre volui.

Primum caput complectetur illas, quæ ve-

sicæ fibrarum musculosarum conditionem sanam mutando, morbum inducere solent; nimirum, quæ torporem, paralysem, vel spasmum huic organo inferant, unde ad munus excretionis perficiendum, haud omnino valeat.

2dum. Eas, quæ obstructione quadam *mechanica*, liberum urinæ cursum impediunt.

De *ischuria vesicali*, quæ torporem vel paralysem pro causa agnoscit, primo disserendum est.

Vesica, in corpore sano, quo ad munus proprium sit aptior, mobilitate quadam insigni est prædita. Hæc tamen in senectute, ubi languent vires et functiones omnes hebescunt, multum minuitur. Idcirco maxime ad *ischuriam* proclives sunt vetuli. In illis enim vesica stimulo solito non bene respondens, eousque distenditur ut brevi omnino contra-

here recuset. Primum morbi indicium est, impetus urinæ exilientis multum imminutus; non vi projicitur solito, sed per crura labitur. Vesica ad contractionem ægre cietur, et licet musculi etiam abdominis adnitantur, urina non omnis ejicitur. Pars residua morbi principium quotidie augetur; quantitas excreta sensim decrescit; demum guttatim prodit, et extemplo ei prorsus intercluditur via. Vesica magis magisque distenditur; et post duos dies vel tres plerumque, vires, quæ egressui urinæ dant renixum, cedunt, lotiumque stillare incipit, ea sæpe copia, ut more solito quasi reddi videatur. Hac specie *ischuriæ* laborantes incommoda fere levia patiuntur. Tumori *hypogastrii* tantum molestiæ vel ponderis inest sensus. Non adest dolor crucians, neque ista crebra et immania ad mingendum conamina, quæ *ischuriam*, ab aliis causis, puta inflammatione, ortam, semper comitantur.

Non raro fit, morbum non tam lentis passibus accedere, sed subito apparere; scilicet, si quis mero gravis, urina non prius reddita, cubitum discedit, et mane proximo experrectus, lotium retentum admiratur.

Homines *temperamenti* melancholici, vitam agentes sedentariam, præ aliis, huic malo sunt obnoxii. Neque vetulos solum, sed omnes cujusvis ætatis quibus fractæ vires et *genus* hebuit *nervosum*, aggreditur; veluti, Baccho vel Veneri nimis deditos. Hanc præcipue colentibus, ob debilitatem vesicæ illatam, accidere solet.

Quandocunque demum universum corpus invadat stupor, veluti in febribus quibusdam; vel post venena sumpta, *nucem*, scilicet, *vomicam*, opium, et alia hujusmodi, urina sæpe reprimitur.

Medullæ spinali per *concussionem* aut com-

pressionem externam læsæ, semper additur *ischuria*. Vesica simul cum partibus infra lumbos positis paralysi afficitur. De dolore raro conqueritur æger, et vix sibi supprimi urinam suaderi potest. Brevi tamen plerumque perit; non propter *ischuriam*, quæ immisso *cathetere* facile sublevari potest; sed affectionem corporis universam, febrem, scilicet, lentam, *hecticæ* haud dissimilem, quæ ex principio urget, et brevi gangræna ad sacrum clunesque superveniente, miserum tandem conficit.

Denique in paralysim recidere solet vesica, quandocunque ex qualibet causa nimiam patiatur distentionem. Hinc isti, qui per neglectum, ignaviam vel pudorem, primo ad meiendum monito restiterint, malo hoc non raro tentantur.

Inflammatio vesicæ, cervicis præcipue, ut retineatur urina sæpissime facit. Inter causas

quæ torpore vesicam afficiunt hanc recensui, quoniam simili modo inducere morbum videtur. Musculum inflammatum parum contractioni idoneum esse, constat. Si musculi cavi ulli ita se habentes, vel paululum distenti fuerint, resolvuntur et vim se contrahendi amittunt. In vesica, ad hunc effectum multum confert capacitas ejus diminuta (quod, ex mobilitate hujus organi aucta, plane pendet) unde fuit ut paululum urinæ, quod vesicæ sanæ non vel stimulo fuisset, inflammatione orta, distendat, et fibris torporem inferendo, retentionem pariat.

De symptomatibus morbi speciei hujusce nuper diximus.—Causarum præcipuæ sunt, calculi in vesica hærentes, membranamque stimulantes internam: podagra, vel materia* acris herpetis ad vesicam translata: medica-

* Vide Morgagni de causis et sedibus morborum, chap. xli. art 4, 5.

menta quædam, præcipue cantharides, quæ in hoc organum actionem propriam exerere videntur. Causa vero usitatissima est, usus injectionum in *gonorrhœa virulenta* incautus, quo vesicæ ad collum, transfertur ab *urethra*, inflammatio. Profluvium ex *urethra* purulentum quantitate subito minutum, cum desiderio mingendi frequentiore solito, ægro instare *ischuriam* hortantur.—Inflammatio etiam ad vesicam nonnunquam pertinet ex partibus, vicinis eadem affectione laborantibus; verbi gratia, ex fistula in ano, vel *hæmorrhoide* inflammata.

Ex quacunque demum causa retineatur urina, si diu in vesica remoretur, hanc, tum ob stimulum a distentione, tum ipsam acrem factam, inflammet.

Spasmus, aliud fibrarum musculosarum vitium, adhuc considerandus superest.

In vesica sana consensus proprius inter musculum *detrusorem* urinæ et *spincterem* intercedit, quo fit, ut contracto *detrusore*, relaxatur *spincter*, et vice versa. Si tamen ex quavis causa, hic turbetur consensus, actioni *detrusoris*, urinam versus ipsum propellentis, non cedit *spincter*, sed ad abnormem contractionem excitatus, urinæ excretionis impedit.

Symptomata sunt gravissima. Multum ea referunt quæ vesicæ inflammationem comitantur, et ab illis ægre distingui possunt.—Hac sæpissime ratione dignoscantur credo: In *ischuria* quæ ab inflammatione orta est, facies rubet, pulsus est durus validusque. Si contra a spasmo pendeat, vultus fit pallidus, anxius, pulsus frequentior et debilis: retentio multo citius apparet: et præterea, homines præcipue aggreditur constitutionis corporis irritabilis, justoque sensilius stimulis assuetis. Non parvi momenti distinctio, quoniam curatio in singulis differt.

Spasmus oriri solet ex irritatione quadam insolita; calculo, scilicet; larga cantharidum *dosi*; aut *vesicatoriis* cuivis corporis parti applicatis; erosione et ulcere vesicæ; muco ejus abraso aut morbido facto; vel etiam consensu cum partibus vicinis. *Ischuria* quæ in *Tetano* et *Hysteria* interdum observatur, spasmo referri potest.

Nunc ad secundum caput perventum.

Quæ hic comprehenduntur causæ vel intra vesicam ipsam residere possunt, vel in partibus adjacentibus. Imprimis enumeranda sunt, calculus, sanguis in vesica effusus, et quædam alia.

Omnes qui calculo laborant, *ischuria* tentari subinde solent. Non tamen diu retentio persistit, et mutata corporis positione, brevi et subito plerumque relevatur. Pueris quam adultis, viris quam fœminis sæpius contingit.

Sanguis, vel a renibus, vulnere aut morbo laborantibus, descendere potest; vel in vesica ipsa, tunica ejus interna erosa aut alias læsa, accumulari. Si non cito expellatur foras, brevi coagulum formatur firmum, quod vesicæ collum gravitate petens, viam obstruat.

Mucus vesicæ, copiosior et spissior solito factus; vermes in hoc viscere hospitantes; pus, et similia, retentionis urinæ causis, ab auctoribus ascribuntur.

Morbi *glandulæ prostatæ*, *ischuriæ* sæpissime causæ, in hoc loco apte memorentur. Non est meum de omnibus vitiis huic glandulæ incidentibus tractare, sed illa solummodo quæ ad sermonem nostram maxime spectant.

Glandula *prostata*, non secus ac alia corporis partes phlegmona afficiatur. Ex *gonorrhœa virulenta* sæpe pertinet malum, præcipue post pravum injectionum usum. Æger sensu

ponderis et caloris in *perinæo* et anum circa, primo turbatur; frequens urget tenesmus; et progrediente malo, inflammationis signa ad cervicem vesicæ sequuntur. Tumor tactu dolens, digito in anum immisso, percipiatur; ægre excernuntur fæces, quæ fere tumoris forma imprimi observantur.

Verum frequentissima hujus glandulæ affectio est qualis ætate provectiores adoriri solet; et *chronica* vel *schirrosa* appellatur. Non tamen ex universæ glandulæ tumore exoritur *ischuria*, sed illius præcipue partis quæ tertius vocatur *lobus*. Dominus Home primus hunc *lobum* descripsit, et ab illo sæpe nomen habet. Extremitates inter vesicularum seminalium conjunctas et tunicas vesicæ situs, has dum paulatim augetur, præ seipsum introrsum impellit et demum iter urinæ prorsus obstruit mole.

Lente accedunt signa. Lotium ægre red-

ditur; ejusque excretio gradatim gravior fit, donec tandem omnino impediatur. Non sine molestia dejicitur alvus. Tumor per *rectum* sentitur firmus. His cum sequente signis a quibusdam *urethræ* vitiis dignosci queit: Si, candela medicata, anglice dicta *bougie*, plus septem pollices in *urethram* immitatur, et si cacumen ejus hebetatum sit, dein obstructionem a glandula *prostata* ortam esse, inferre licet.

Calculi nonnunquam hanc glandulam infestare videntur. Ipse, hujusce mali, dum studiis Eblanæ *anatomicis* incumbebam, exempla multa vidisse memini. Glandula plerumque indurata fuit, et calculus vel interiori parti inhærebat, vel jam per ejus ductus emersurus. Nunc unus solummodo, nunc plures in eadem *prostata* videbantur.—Si hujusmodi calculus *urethræ* forsan impactus fuisset, urinam retentam iri, abunde liquet.

Ischuria oriri potest a variis partium vicinarum vitiis: quæ omnia vesicæ collum, aut *urethræ* ipsius originem, contra ossa pubis comprimendo, urina ut retineatur faciunt.—Qualia sunt, rectum intestinum phlegmona, apostemate aut *schirro* affectum, vel stercore flatuve immodice distentum; hæmorrhoides tumidæ; menses in vagina conclusi; uterus fœtu, mola, sanguine, polypo, tumore qualicunque tumidus, vel carcinomate laborans; ejusce *retroversio*, inversio, &c.; fœtus in puerperio caput; tumores demum omnigeni in partibus vicinis.

Non opus est de causis aut symptomatibus singulorum ex his malis accurate aut fuse disserere. De *retroversione* uteri solummodo pauca dicam, quippe quæ non levis sit momenti affectio, medicique præsidio instante usque indigeat.

Mulieribus dum uterum gerunt, tertio fere mense, accidit. Uterus proprio situ est dimotus. Fundus ejus, *vaginam* inter et *rectum* interjectus, hoc premit; dum cervix sursum fertur, et vesicam, (quacum opera *peritonæi* firmum habet nexum) secum trahens, *urethram* intendit comprimitque. Hinc lotium et stercus retenta, et dolor circa *perinæum* gravis. Tumor, fundum uteri referens, e recto percipitur. Os *tincæ symphisim* pubis aspicit, et ægre, non raro nequaquam, per *vaginam* tangi potest. Hic ab anteriore parte, fluctuare urinam percipiamus.—Causa hujusce mali, distentio vesicæ, vis abdomini illata, casus, &c. esse habentur.

In pueris aliquando morbus ex *præputio* constricto observatur oriri; cui sæpe calculus, præputium inter et glandem penis interpositus, adjungitur.

Postremo, causis supra enumeratis variis

annumeranda sunt omnia *urethræ* vitia, stricturæ, nimirum, inflammatio, spasmus, carunculæ, &c.

Hic observandum est, quod ex his omnibus in vesica obstructionibus (si modo diu exstiterint) oritur aucta tunicarum crassitudo, necnon diminuta visceris capacitas. Quum majore semper conamine ad remoramina exsuperanda opus sit, magis magisque (sæpe quidem miris modis) densatur tunica muscularis. Vesica simul minus capax fit, adeo ut vix amplius quatuor aut quinque uncias capiat. Hoc vero in animo habendum, tum in operationibus *chirurgicis* quibus subjiciatur hoc viscus, tum in *pathologia* ejus investiganda. In vesica ita se habente, perpaucæ urinæ unciæ eadem illa retentionis signa edent, quæ quantitas duplo aut triplo major in viscere sano.

DIAGNOSIS.

Ischuria Vesicalis haud difficulter agnosci potest. Ab urinæ suppressione aut *ischuria renali* distinguitur, quod abest dolor in regione renum et *ureterum*. In urinæ suppressione nullus est *hypogastrii* tumor, nec mingendi cupido.

Sæpe quidem fieri potest, ut existat urinæ retentio, medentem tamen lateat. Cum scilicet urinæ fluxus per *urethram* non omnino supprimitur. Quod quidem ex præcedente morbi historia satis liquet. Ex hac re, errores sæpe gravissimi sunt exorti. Præclare dixit Dom. Hey, "Violent efforts to make water "are often excited at intervals; and during "these strainings small quantities of urine "are expelled. Under these circumstances

" the disorder may be mistaken for stran-
" gury.

" At other times a morbid retention of " urine subsists when the patient can make " water with a stream, and discharge a quan- " tity equal to that which is commonly dis- " charged by a person in health.

" And lastly, it sometimes happens that " when the bladder has suffered its utmost " distention, the urine runs off by the ure- " thra as fast as it is brought into the bladder " by the ureters. I have repeatedly known " this circumstance cause a serious misappre- " hension of the true nature of the disease." (*Vide Practical Observations by William Hey.*)

Retentio facile agnoscitur ex statu *hypogastrii*; aliorum simul symptomatum ratione habita. Nec tamen dissimulandum quod in ægris quibusdam, *hypogastrii* tumor percipi nequit, ob obesitatem corporis, aut tunica-

rum vesicæ crassitudinem, quæ eam quo minus supra pubem exurgat, impedit. Hic igitur ut certiores simus, ad *catheterem*, aut digitum per anum immissum, confugiendum.

PROGNOSIS.

Periculum in hoc morbo pro specie variatur. Plerumque majus est, ubi morbus ex inflammatione aut spasmo exortus est. Antequam detur *prognosis* generalis, considerandum est, quæ symptomata maxime instent, quamdiu duraverint, et ex qua præcipue causa retentio oriatur. Si gravia sint symptomata, et jamdudum urgeant; si tactu multum doleat *hypogastrium*, et febris gravis adsit; si morbus ex acuta inflammatione sit ortus; et præcipue, si obstructione aliqua diuturna et immota stipetur; maxima instare ægro pericula pro certo habeamus. Si e contra minus urgeant symptomata; si *hypogastrium* pressum non

multum doleat, et nulla adsit febris ; si ex parva obstructione expugnatu facili, exortus fuerit morbus, exitus felicior sperandus.

Periculum in *ischuria*, ex quacunque causa orta, ex eo fit, quod vesicæ inflammatio ad *peritonæum* et viscera pertinere potest ; quæ aliquando ita violens est, ut in vesicæ gangrena evadat. Ubi hoc fit, mors brevi consequetur. Etiam si æger omnia hæc pericula superaverit, et etiam abierit vesicæ inflammatio, nonnunquam tamen accidit, ut hanc affectionem excipiat altera nec minus metuenda ; humor, scilicet, hujus organi purulentus, qui cum urina assidue redditur, et superveniente febre *hectica*, sæpe lethalis evadit. Ad hoc malum multum confert, vesica prius densata, callosa aut aliter morbida facta.

De *prognose*, singulæ morbi speciei propria, extemplo memorandum est.

RATIO MEDENDI.

De curatione *ischuriæ*, quæ ab inflammatione profluxit, imprimis agetur.

In hac morbi specie, quoniam in summo periculo versatur æger, ad idonea remedia tempestive confugiendum. Ex his efficacissimum est sanguinis detractio. Pleno mittatur rivo (ægri virium ratione habita) ad uncias, nimirum, sexdecim, viginti aut amplius; et si supervenerint *syncopes* signa, tanto melius. Sanguis etiam prope mali sedem, cucurbitularum vel hirudinum ope, detrahatur.

Balneum calidum in omnibus fere hujus morbi stadiis multum levamen afferre solet. Quod tamen nisi in promptu sit, fomenta et cataplasmata ad pubem *perinæumque* adhiberi debent.

Opium, præ virtute dolorem et irritationem compescendi, utilissimum est remedium. Vel per os vel anum adhibetur. Compositio hujusce medicamenti cum *calomelane*, a quibusdam multum commendatur; proportione scilicet, opii granorum duorum, ad *cal:* grana decem, sexta quaque hora sumendum. In forma clysteris usitatius est, et ad mali sedem tam prope admotum maxime prodest. Sed omnino opus est ut intestinum rectum clystere communi prius depleatur, quam injiciatur decoctum anodynum.—Quum morbus eum statum attigerit qui dysuria vocatur, opium modicis et repetitis *dosibus* datum, cum aliquanto camphoræ, (simul adhibitis balnei calidi usu, gummosis diluentibus, et medicamentis lenibus catharticis) aliquando morbum solvit et sic retentioni occurrit venienti.

Si tamen omnia ad ægrum sublevandum irrita fuerint remedia, continuo urinam, *ca-*

thetere immisso, educere conandum. In tali re, operatio hæcce statim est perficienda: experto haud difficilis est: et quicquid doloris aut irritationis facessat, multo minus nocebit, quam urinæ acris irritatio et stimulus in vesica detentæ. Minime tamen ad instrumentum prius decurrendum quam fuerint adhibita venæsectio et alia remedia; quæ si non morbum tollant, saltem tubuli transitum tutiorem reddant. *Catheter* gummi *elastico* constructus ad hunc morbum magis opportunus videtur.

Modus curationis supra dictus, *ischuriæ* quæ spasmo vel inflammationi *urethræ* supervenerit, accommodatur; nisi quod in hac, antequam immittatur fistula, ad partem obstructam *bougæum* immittere oportet, quo brevi educto, non raro urina statim profluit. Hoc magis accidere solet, si primum ægrotans in balneum ingressus, langueat.

Quum a vesica paralytica facta pendet retentio, *catheter* est optimum remedium. Malum hoc, ut nuper diximus, sæpissime vetulos aggreditur, et tantum incuria periculosum fere evadit. Instrumento nec mora immisso, protinus effluit urinæ; nisi, ut aliquando fit, vesica in summam paralysim dilapsa, vim omnem contrahendi amiserit, cum non nisi compresso manu *hypogastrio*, labetur. Postquam urina omnis detracta est, tubulus vel in vesica relinquatur, vel expromi debet; atque iterum, quoties res postularet, intromittatur. Hic modus multo optimus esse videtur, quoniam vesica ad vim pristinam citius restauretur. Idem quoque a Dominis Desault et Hey laudatur. (*Journal de Chirurgie par M. Desault, tome III. p.* 170.)

Tempus quod ad plenam vesicæ contractionem exigitur, varium est. A sex fere vel septem diebus ad totidem hebdomadas. Sed interdum accidit ut nunquam convalescat

æger, et perpetuo *catheteris* usui subjiciatur. Quando hoc fit, languentem vesicam excitare conemur, *vesicatoriis*, nimirum, ad *sacrum* applicatis, aura *electrica*, frictionibus, usu cantharidum interno, frigidis ad *hypogastrium* lotionibus, &c.

Si a spasmo musculi *spincteris* reprimatur urina, balneum, opium, aliaque *antispasmodica* experiamur. Sed maximo usui est, *bougeum*, quo ad collum vesicæ misso, musculorum restituitur consensus et tollitur spasmus. Dominus Crampton, cujus olim Eblanæ prælectionibus adfui, historiam ægri recensuit ad quem vocatus erat, quique hoc morbo laborabat—doloribus acerbissimis tentabatur; quo accedebat contentio corporis vana et inutilis, vultus pallor, et anxietas. Introductum est *bougæum*; omnia statim symptomata evanuerunt, et libere profluxit urina.

Aliud remedium ad spasmum vel vesicæ

vel *urethræ* removendum, a Domino Cline commendatur; *tinctura*, scilicet, *muriatis ferri* in *dosibus* guttarum decem omni sextante hora, ad aliquem effectum, adhibenda: quod certe si deficiant cætera, experiri decet.—Hic quoque *nicotiana* aliquando adhibetur.

Quando oritur urinæ retentio ex sanguine coagulato vesicæ ostium obstruente, *catheter* communis educendæ urinæ non erit. Ad hanc rem scriptores quidam *catheteris* solito longioris usum edocent, præcipue ejus partis extremæ quæ ultra curvum jacet, ut, scilicet, coagulum penitus transeat, et urinam accedat, quæ inde facillime evadit.

Si *ischuriam* fecerit glandula *prostata* supra modum aucta, morbus difficilem sane se medenti prabet, et de eo quidem non bene judicandum; nam quamvis æger ex malo semel aut sæpius convaluerit, quoniam tamen nullam adhuc glandulæ molis minuendæ viam in-

venerint medici, morbus sæpius ingruet, et confectis tandem viribus ægri, mortis diem approperet. Hic non facile introducitur *cathether* ob subitum *urethræ*, vesicæ appropinquantis, reflexum. Instrumenti, igitur, quod ad hanc rem eligitur, pars extrema plus solito flectatur, et inter *urethræ* trajectum, parti ejus superiori continuo admoveatur, donec partem affectam attigerit. Tum depresso instrumenti manubrio, eoque leniter protruso, pars extrema facile in vesicam, ante objectam glandulæ partem, immitti potest. Si hoc parum cedat, intromittatur in *rectum* digitus, et sic facilius dirigetur instrumentum.

Dominus Hey *cathetere* flexibile uti docuit, cui annectitur *stilettus* solidus et inflexibilis, qui simul ad obstructionis sedem perventum est, paululum summovendus; unde *catheteris* extremitas sursum fertur et supra *lobum* affectum facile transeat. Huic tamen methodo objiciatur, quod per *catheteris* fora-

men elabatur *stilettus*, et remoto instrumento, laceretur *urethra*.

Quando uteri *retroversio ischuriam* parit, plerumque urina educi facillime potest per *catheterem marem*, qui, parte convexa pubis *symphysi* obversa, leniter et accurate intromittatur. Aliquando *catheter* flexibilis melius respondebit.

Sæpe tamen accidit ut omnes ad urinam educendam conatus frustra sint; et ut servetur ægri vita, iter in vesicam arte sit aperiendum. Operatio hæcce quæ Vesicæ *Punctura* vocatur, in tribus locis diversis perfici potest, scilicet, per ano, in *perinæo*, et, supra pubem. Non necesse habeo, nec limites sane mihi præscripti sinunt, has operationes varias recensere, aut operandi modum in singulis* de-

---

* Hic Vide Journal de Chirurgie per M. Desault. Tome troisieme—Vide etiam A Treatise on the Puncture of the Bladder by Weldon.

scribere. Quæ pauca præponere decrevi, ad istum solummodo modum qui optimus habetur, spectant.

Operatio in *perinæo* jam pridem in desuetudinem abiit, et reliquarum utra successus felicissimos spondeat chirurgi certant; "et ad-"huc sub judice lis est." In omni re statuendum est ex morbi progressu, vesicæ conditione, aut partibus connexis. Plerumque operatio supra pubem optima et tutissima est, et quam præcipue commendare ausim. Multæ sunt causæ quo minus per anum perficiatur. 1mo. Parvulum est vesicæ spatium quod tuto incidi potest. 2do. Glandula *prostata* plerumque in hoc morbo præter naturam aucta, quæ *trocaris* usum planissime vetat. Imo etiam, vel sanis his partibus, sæpe invenitur difficile (siquidem omnino fieri possit) digitum immittere ultra glandulam ad istam vesicæ partem quæ incidi potest, ea est inter hanc et anum distantia. In neutro casu autem vesica aperi-

enda est absque summo discrimine, ne partes istæ, quibus minime læsis opus est, lædantur. 3tio. Viscus hoc læderetur in parte jamdudum ex morbo inflammata, aut certe prope partem affectam. 4to. *Canulæ* ea est irritatio ut tenesmum gravem parere soleat, et ægrum ejus impatientem reddat. Aut etiam si *canula* statim post operationem peractam summoveatur, ut quidam monent, vulnus aut citius sanabitur, (unde operatio iteranda erit) aut in fistulam cedat inter vesicam et *rectum*; quod omnino deprecamur.

Omnibus vero istis incommodis caret operatio quæ supra pubem peragitur. Simplicissima est et facillima. Vesica in parte sana vulneratur, in qua relinquatur *canula*, dum desierit obstructio quæ morbum fecit. Neque grave equidem id duco, quod huic methodo vulgo objici solet; nempe quod urina per *telam cellulosam* et *pelvem* diffundatur. Namque inflammatio adhæsiva vesicam cito mus-

culis abdominis agglutinat, et illud ne fiat, prohibet. Ipse olim vesicæ sectæ adfui, quæ dum vixit æger, supra pubem puncta fuerat ob urinæ retentionem. Pars ejus quæ incisioni circumjacebat, arcte adhærebat *peritonæo* musculis tegenti, quamvis horæ solummodo viginti quatuor post operationem peractam, elapsæ fuissent.

Nunquam vesicam supra pubem punctam vidi nisi semel in nosocomio Dubliniensi, ubi, tubulo in vulnere relicto, urina per septem aut octo dies effluxit: tum vero post evictam in *urethra* obstructionem, per viam consuetam elapsa est; et vulnus est sanatum. Æger cito convaluit, et jam, ni fallor, vivit.—Simplex est operatio, et a Domino Abernethy multo facilior est reddita: Ad cujus opusculum plura quærentem, libenter mittam.* Fit incisio inter musculos *pyrami-*

* Vide Abernethy's Surg. Obs. for 1804. On the Puncture of the Bladder.

dales; tum digito vesica distensa exploratur, et *trocar* communis oblique deorsum immittitur; remoto *stiletto, catheter* cavus et *elasticus* per *canulam* vesicam intret, quæ statim extrahenda est. Relinquatur tubulus *elasticus* dum urina per *urethram* redierit.

Huic operationi non objici potest, nisi quum aut æger sit corpore obeso; aut vesica tam morbida, ut supra pubem nequeat exurgere. Hoc tamen raro evenit.

Denique, observare licet quod chirurgi quidam, qui vesicam pungi nolunt, instrumentum quod *staff* vocatur, per obstructionem *urethræ* protrudere monent, ut inde evacuetur urina. Quod Dominus Dease chirurgus celeber Eblanensis olim factitabat, et filius ejus, artem Eblanæ feliciter nunc exercens, idem commendat, et cum multo fructu usurpat. Hoc tamen nemo, nisi peritus et expertus, tentet.

FINIS.